

est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum prebysterii. Et alibi: (a) Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Hæc de ordinis sacramento satis dicta sint: potiora enim tantum rerum capita pastoribus tradere professi sumus, ut illis ad fidem populum docendum et in christiana pietate erudiendum argumenta supeditarentur.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

Virtus continentiaz omnibus optanda.

I. Quoniam pastoribus beata et perfecta christiani populi vita proposita esse debet, iis quidem maxime optandum esset quod Apostolus se cuperet ad Corinthios scribebat his verbis: (b) Volo omnes homines esse sicut meipsum; nimisrum, ut omnes continentiaz virtutem sectarentur; nihil enim beatius in hac vita fidelibus potest contingere, quam ut animus, nulla mundi cura distractus, sedataque et restineta omni carnis libidine, et in uno pietatis studio, et cœlestium rerum cogitatione conquiescat.

Matrimonii sanctitas accurate prædicanda.

II. Sed quoniam, ut item Apostolus testatur, (c) unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic; et matrimonium magnis et divinis bonis ornatum est; ita ut inter alia catholica Ecclesiæ sacramenta vere et proprie numeretur, ac (d) Dominus nuptiarum celebritatem presentia sua honestarit: satis appetret, ejus doctrinam tradendam esse, cum præser-

(a) 2 Tim. 4, 6. — (b) 1 Cor. 7, 7. — (c) 1 Cor. 7, 7. —
(d) Joan. 2, 2.

tim liceat animadvertere, tum sanctum Paulum, tum Apostolorum principem, quæ non solum ad dignitatem, sed etiam ad officia matrimonii pertinebant, pluribus locis accurate scripta reliquise. Divino enim spiritu afflati optime intelligebant, quanta et quam multa commoda ad christianam societatem pervenire possent, si fideles matrimonii sanctitatem cognitam haberent, et inviolatam servarent; contra vero, ea ignorata vel neglecta, plurimas maximasque calamitates et detrimenta in Ecclesiam importari.

Quid de matrimonio primo explicandum.

• III. Primum itaque matrimonii natura et vis explicanda est; nam cum virtus sepe honesti similitudinem gerant, cavere oportet ne fideles falsa matrimonii specie decepti, turpitudine et nefariis libidinibus animam commaculent: cuius rei declarandæ causa, a nominis significatione ordendum est.

Varia nomina.

IV. Matrimonium ab eo dicitur, quod femina idcirco maxime nubere debet, ut mater fiat, vel quia præfæma concipere, parere, educare matris munus est.

Conjugium.

Conjugium quoque a conjugendo appellatur, quod legitima mulier cum viro quasi uno jugo adstringatur.

Nuptiæ.

Præterea nuptiæ, quia, ut inquit sanctus Ambrosius, pudoris gratia puellæ se obnubarent; quo etiam declarari videbatur, viris obedientes subjectasque esse oportere. *De his nominibus vide August. lib. 19 contra Faust. c. 26. Amb. lib. 1 de Abraham, c. 9. in fine. Item vide 50, q. 5,*

c. Femina, et 53. q. 5, c. Mulier. Isidor. lib. de Eccl. officiis, c. 19.

Matrimonii definitio datur et explicatur.

V. Ita vero ex communis theologicorum sententia definitur: Matrimonium est viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas, individualiam vitæ consuetudinem retinens: cuius definitionis partes ut planius intelligantur, docendum est, quamvis haec omnia in perfecto matrimonio insint, consensus videlicet interior, pactio externa verbis expressa, obligatio et vinculum, quod ex ea pactione efficitur, et conjugum copulatio qua matrimonium consummatur.

Conjunctio.

Nihil horum tamen matrimonii vim et rationem proprie habere, nisi obligationem illam et nexum, qui conjunctionis vocabulo significatus est.

Maritalis.

Additur vero, maritalis, quoniam alia pactionum genera, quibus viri et mulieres obligantur, ut sibi mutuum operam prestant, vel prejici, vel alterius rei causa prorsus aliena sunt a matrimonii ratione.

Inter legitimas personas.

Sequitur deinde, inter legitimas personas, quoniam qui a nuptiarum conjunctione legibus omnino exclusi sunt, ii matrimonium inire non possunt: neque si ineant, ratum est: exempli enim gratia, qui intra quartum gradum propinquitate conjuncti sunt, puerque ante decimum quartum annum, aut puella ante duodecimum, quae etas legibus constituta est, ad matrimonii justa fœdera ineunda, apti esse non possunt.

Indissolubilis.

Quod vero extremo loco positum est, individualiam vitæ consuetudinem retinens indissolubilis vinculi naturam declarat, quo vir et uxor colligantur.

In quo præcipue vis matrimonii sita sit.

VI. Ex iis igitur patet matrimonii naturam et rationem in vinculo illo consistere. Nam quod aliae clarissimorum virorum definitiones hoc vindicentur consensu tribuere, ut cum dicunt conjugium esse consensum maris et feminæ, hoc ita accipendum est, consensum ipsum matrimonii causam effectricem esse: quod Patres in concilio Florentino (a) docuerunt: etenim obligatio et nexus oriri non potest, nisi ex consensu et pactione.

Consensus verbis temporis praesentis exprimendus.

VII. Sed illud maxime necessarium est, ut consensus verbis qua praesens tempus significant, exprimatur; neque enim matrimonium est simplex donatio, sed mutualis pactio: atque ita fit ut consensus alterius tantum ad matrimonium conjungendum satis esse non possit, sed duorum inter se mutuum esse oporteat; atque ad declarandum mutuum animi consensum verbis opus esse perspicuum est.

Consensus interior non est satis ad matrimonium.

VIII. Si enim ex interiori tantum consensu sine aliqua externa significacione matrimonium constare posset, illud etiam sequi videretur, ut, cum

(a) In Epist. Eugen. IV, ad Armen.

duo, qui disjunctissimis et maxime diversis in locis essent, ad nuptias consentirent, antequam alter alteri voluntatem suam vel litteris vel nuntiis declarasset, veri et stabilis matrimonii lege coniungerentur: quod tamen a ratione, et sancta Ecclesiae consuetudine, et decretis alienum est.

Consensus verbis futuri temporis expressus non sufficit.

IX. Recte autem dicitur oportere ut consensus verbis exprimatur, quae presentis temporis significacionem habeant: nam quae futurum tempus indicant, matrimonium non conjungunt, sed spoudent: deinde, quae futura sunt nondum esse perspicuum est: que vero non sunt, parum vel nihil firmi aut stabili habere existimandum est. Quare nondum connubii ius in eam mulierem quisquam habet, quam se in matrimonium ducturum esse pollicetur, neque statim ab eo impletum est quod se facturum promisit, tametsi fidem prestare debet: quod si non faciat, violate fidei reus esse convincitur. At vero, qui matrimonii fædere alteri jungitur, quamvis postea poneat, tamen, quod factum est, mutare irritumve et infectum reddere non potest. Cum itaque conjugii obligatio nuda promissio non sit, sed ejus-modi abalienatio, qua re ipsa vir mulieri, et vicissim mulier viro corporis sui potestatem tradit: idcirco necesse est veribus, qua praesens tempus designant, matrimonium contrahi: quorum verborum vis, postquam etiam enunciata sunt, permanet, virumque et uxorem indissolubili vinculo constrictos tenet.

Nutus vel signa loco verborum sufficere possunt.

X. Sed verborum loco tum nutus et signa, que

intimum consensum aperte indicent, satis ad matrimonium esse possunt: tum ipsa etiam taciturnitas, cum puella propter verecundiam non respondet, sed pro ea parentes loquuntur. Ex iis igitur parochi fidelibus tradent matrimonii natum et vim in vinculo et obligatione sitam esse ac præter consensem, eo, quod dictum est modo expressum, ut verum matrimonium existat, concubitum necessario non requiri; nam et (a) primos parentes ante peccatum, quo tempore nulla inter eos carnis copula intercesserat, ut Patres testantur, vero matrimonio junctos fuisse plane constat. Quare a sanctis Patribus dictum est matrimonium non concubitu, sed consensu existere: quod etiam a sancto Ambrosio, in libro de Virginibus repetitum legimus. *De inst. virgin. c. 6.*

Duplex matrimonium, naturale et sacramentale.

XI. Jam vero hisce explicatis, illud docendum erit matrimonium duplicum rationem habere. Nam vel ut naturalis conjunctio (conjugium enim non ab hominibus inventum, sed a natura), vel ut sacramentum, cuius vis naturalium rerum conditionem superat, considerandum est. Ac quoniam gratia naturam perficit, (b) neque prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale, rei ordo postulat ut de matrimonio, ut natura constat, et ad naturæ officium pertinet, prius agendum sit: tum vero, que illi, ut sacramentum est, convenient, explananda erunt

Matrimonium naturale a Deo institutum.

XII. In primis itaque docendi sunt fideles matrimonium a Deo institutum esse: scriptum est

(a) Gen. 2, 22. — (b) 1 Cor. 13, 46.

enim in Genesi : (a) Masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, et ait : Crescite et multiplicamini; et : (b) Non est bonum hominem esse solum : faciamus ei adjutorium simile sibi. Ac paulo post : (c) Adeo vero non inveniebatur adjutor similis ejus: immisit ergo dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus : et replevit carnem pro ea, et edificavit dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem, et adduxit eam ad Adam; dixitque Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est : quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhæredit uxori sue, et erunt duo in carne una. Quae ipsis domino auctore apud sanctum Matthaeum (d) ostendunt matrimonium divinitus institutum esse.

Matrimonium statuit indissolubile.

XIII. Neque vero Deus matrimonium tantummodo instituit, verum, ut sancta Tridentina syndicis declarat (e) perpetuum etiam et indissolubilem nodum ei addidit; siquidem salvator ait : (f) Quod Deus coniunxit, homo non separat. Quamvis enim matrimonio, quatenus naturæ est officium, conveniat ut dissolvi non possit: tamen id maxime fit quatenus est sacramentum : qua ex re etiam in omnibus, quæ naturæ lege ejus propriasunt, summam perfectionem consequitur; tamen et prolixi educandæ studio, et aliis matrimonii bonis repugnat, ut ejus vinculum dissoluble sit.

(a) Gen. 1, 27. — (b) Ibid. 2, 18. — (c) Ibid. 2, 20 et seq.
— (d) Matth. 19, 6. — (e) Sess. 24 init. — (f) Matth. 19,

Matrimonii contrahendi non est omnibus posita lex.

XIV. Quod vero a domino dictum est : (a) Crescite et multiplicamini: id eo spectat ut cujus rei causa matrimonium institutum erat, declarat, non ut singulis hominibus necessitatem imponat: nunc enim aucto jam humano generi, non solum ulla lex uxorem ducere aliquem non cogit, sed potius virginitas summopere commendatur, et unicuique in sacris litteris suadetur, ut quæ matrimonii statu præstantior sit majoremque in se perfectionem et sanctitatem contineat. dominus enim salvator noster ita docuit : (b) Qui potest capere, capiat; et apostolus ait : (c) De virginibus preceptum domini non habeo; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus, ut sim fidelis.

Vir et mulier jungi cur debeant.

XV. Sed quibus de causis vir et mulier conjungi debeant explicandum est.

Prima causa. — Prima igitur est, haec ipsa diversi sexus naturæ instinctu expedita societas, mutui auxiliū spe conciliata, ut alter alterius operatus vitæ incommoda facilius ferre, et senectutis imbecillitatem sustentare queat.

Secunda causa. — Altera est procreationis appetitus, non tam quidem ob eam rem, ut honorum et dicitiarum hæredes relinquantur, quam ut veræ iudei et religiosi cultores educentur: quod quidem maxime sanctis illis patriarchis, cum uxores ducerent, propositum fuisse, ex sacris litteris saitis appareret; quare angelus, cum tobiam admoneret quo pacto mali demonis vim posset repellere.

(a) Gen. 1, 28. — (b) Matth. 19, 12. — (c) 1 Cor. 7, 25.

lere : (a) Ostendam, inquit, tibi qui sunt quibus prævalere potest dæmonium, ii namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et sue libidini ita vident, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos. Deinde subjicit: Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abraham benedictionem in filiis consequaris.

Nota. Atque una etiam hæc causa fuit, cur Deus ab initio matrimonium instituerit, quare fit ut illorum sit scelus gravissimum, qui matrimonio juncti, medicamentis vel conceptum impeditum, vel partum abigunt, hæc enim homicidarum impiæ conspiratio existimanda est.

Tertia causa. — Tertia est, quæ post primi parentis lapsum ad alias causas accessit; cum propter justitiae, in qua homo conditus erat amissionem, appetitus recte rationi repugnare cepit, ut scilicet qui sibi imbecillitatis sue conscientia est, nec carnis pugnam vult ferre, matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur, de quo ita Apostolus scribit : (b) Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. Ac paulo post, cum docuisset interdum orationis causa a matrimonii debito abstinentiam esse, subjecit. (c) Et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.

Nota. Hæc igitur sunt cause, quarum aliquam sibi proponere quisque debet, qui pie et religiose, ut sanctorum filios decet, nuptias velut contrahere.

Aliæ cause non dammandæ.

Quod si ad eas causas aliæ etiam accedant,

(a) Tob. 6, 16, 17, 22. — (b) 1 Cor. 7, 2. — (c) 1 Cor. 7, 5.

quibus homines induci matrimonium ineant, atque in habendo uxoris delectu, hanc illi præponant, ut hereditis relinquendi desiderium, divitiae, forma, generis splendor, morum similitudo; hujusmodi sane rationes dammandæ non sunt, cum matrimonii sanctitati non repugnant: neque enim in sacris Litteris (a) Jacob patriarcha reprehenditur, quod Rachelem, ejus pulchritudine illetus, Liæ prætulerit.

Matrimonium ut sacramentum.

XVI. Hæc de matrimonio, ut naturalis conjunctio est, docenda erunt: ut autem sacramentum est, explicare oportebit ejus naturam multo præstatoriæ esse, et omnino ad altiorem finem referri.

Matrimonium ut sacramentum naturali longe præstat.

XVII. Quemadmodum enim matrimonium, ut naturalis conjunctio ad propagandum humanum genus ab initio institutum est: ita deinde ut populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur sacramenti dignitas illi tributa est.

Christi et Ecclesiæ unio per matrimonium declarata.

XVIII. Cum enim Christus Dominus vellet arctissimæ illius necessitudinis quæ ei cum Ecclesia intercedit, suæque erga nos immense charitatis certum aliquod signum dare, tanti mysteriæ divinitatem hæc potissimum maris et feminæ sancta conjunctione declaravit; quod quidem apertissime factum esse intelligi ex eo potest, quod

(a) Gen. 29.

ex omnibus humanis necessitatibus nulla inter se homines magis, quam matrimonii vinculum constringit; maximaque inter se vir et uxor charitate et benevolentia devincti sunt. Atque idecreso fit, ut frequenter sacre Litteræ nuptiarum similitudine divinam hanc Christi et Ecclesie copulationem nobis ante oculos proponant.

Matrimonium sacramentum esse probatur.

XIX. Jam vero, matrimonium sacramentum esse, Ecclesia, Apostoli auctoritate confirmata, certum et exploratur semper habuit: ita enim ad (a) Ephesios scribit: Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit: nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam sicut et Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhæribit uxori sue, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Nam quod inquit: Sacramentum hoc magnum est; nemini dubium esse debet. (b) ad matrimonium referendum esse: quod scilicet viri et mulieris conjunctio, cuius Deus auctor est, sanctissimi illius vinculi quo Christus Dominus cum Ecclesia conjugitur, sacramentum, id est sacrum signum sit. Atque hanc esse eorum verborum propriam et veram sententiam, veteres sancti Patres, qui cum locum interpretati sunt, ostendunt, idemque Santa Tridentina synodus (c) explicavit. Constat ergo, virum Christo (d), uxorem Ecclesia ab Apo-

(a) Eph. 5, 25 et d. — (b) Tertul. lib. de Monog. Aug. de Fide et oper. cap. 7, lib. de Nupt. et concup. c. 10 et 12. — (c) Sess. 24. — (d) Ambr. in Epist. ad Ephes.

stolo comparari, (a) virum esse caput mulieris, ut est Christus Ecclesie, eaque ratione fieri, ut vir uxorem diligere, et vicissim uxor virum amare et colere debeat: Christus enim dilexit Ecclesiam, et pro ea semetipsum tradidit: rursus vero, ut idem Apostolus docet, Ecclesia subiecta est Christo.

Matrimonii sacramentum gratiam tribuit.

XX. Sed gratiam quoque hoc sacramento significari et tribui, in quo maxime ratio sacramenti inest, ea synodi verba (b) declarant: Gratiam vero, que naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit.

Gratia hujus sacramenti effectus.

XXI. Quare docendum est, hujus sacramenti gratia effici, ut vir et uxor mutuae charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquiescat, alienosque et illicitos amores et concubitus non querat; sed in omnibus sit (c) honorabile connubium, et torus immaculatus.

Matrimonii sacramentum quantum aliis matrimonii antecellat.

XXII. Sed quantum matrimonii sacramentum iis matrimonii prestet, qua ante vel post legem iniiri solebant, ex eo licet cognoscere, quod etsi gentes matrimonio divini aliquid inesse arbitrabantur, atque ob eam rem vagos concubitus a naturali lege alienos esse, itemque stupra, adulteria et alia libidinis genera vindicanda esse ju-

(a) Ephes. 5, 25 et d. — (b) Sess. 24, in doctrin. de matrim. — (c) Heb. 13, 4.

dieabant; tamen eorum connubia nullam prorsus sacramenti vim habuerunt.

Matrimonium Judæorum, etsi sanctum, non erat sacramentum.

XXIII. Apud Judæos vero religiosas omnino nuptiarum leges servari consueverant, neque dubitandum quin eorum matrimonia majori sanctitate prædicta essent. Cum enim promissionem accepissent, fore aliquando, (a) ut omnes gentes in semine Abrahæ benedicerentur, magnæ apud eos pietatis officium merito esse videbatur, filios procreare, electi populi sobolem, ex qua Christus Dominus Salvator noster, quod ad humanam naturam attinet, ortum habiturus esset, propagare; sed illæ quoque conjunctiones vera sacramenti ratione caruerunt.

Matrimonium ante legem et sub lege erat imperfectum.

XXIV. Huc accedit quod sive naturæ post peccatum, sive Mosis legem spectemus, facile animadvertisimus, matrimonium a primi ortus sui decoro et honestate decidisse: dum enim naturæ lex vigebat, multos ex antiquis patribus fuisse comperimus, qui plures simul uxores ducerent. Deinde vero in lege Mosis permisum erat, (b) datœ repudiij libello, si causa fuisse, divorcium cum uxore facere; quorum utrumque ab evangelica lege sublatum, matrimoniumque in pristinum statum restitutum est.

Pluralitas uxorum matrimonio contraria.

XXV. Nam quod polygamia a matrimonii natura aliena esset (etsi aliqui ex priscis patribus accu-

(a) Gen. 22, 18. — (b) Deut. 24, 1. Matth. 19, 7.

sandi non sunt, quod non sine Dei indulgentia plures uxores ducerent), Christus Dominus ostendit illis verbis: (a) Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerabit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Ac deinde subjungit: Itaque jam non sunt duo, sed una caro.

Matrimonium est duorum tantum conjunctio.

XXVI. Quibus verbis planum fecit matrimonium ita a Deo institutum esse, ut duorum tantum, non plurium conjunctione definiretur. Quod etiam alibi apertissime docuit; inquit enim: (b) Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, mœchiatur. Nam si viro liceret plures uxores ducere, nulla omnino causa esse videretur, cur magis adulterii reus dicendus esset, quod praeter eam uxorem quam domi haberet, aliam duceret, quam quod priore dimissa, cum alia conjugareretur.

Nota. Atque ob eam rem fieri intelligimus, ut si infidelis quispiam, gentis suæ more et consuetudine, plures uxores duxisset, cum ad veram religionem conversus fuerit, jubeat eum Ecclesia cæteras omnes relinquere, ac priorem tantum justæ et legitimæ uxoris loco habere.

Nullo divorcio vinculum matrimonii dissolvitur.

XXVII. Verum eodem Christi Domini testimonio facile comprobatur nullo divorcio vinculum matrimonii dissolvi posse: si enim post libellum repudiij mulier a viri lege soluta esset, liceret ei sine ullo adulterii crimen alteri viro nubere. At-

(a) Matth. 19, 5, 6. — (b) Matth. 19, 9.

qui Dominus aperte denuntiat: Omnis (*a*) qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur,

Sola mors solvit matrimonium.

XXVIII. Quare conjugii vinculum nulla re, nisi morte, dirumpi perspicuum est: quod quidem Apostolus etiam confirmat, cum inquit: (*b*) Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est a lege: cui vult, nubat, tantum in Domino. Et rursus: His, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Eam vero optionem Apostolus mulieri quæ justa de causa virum reliquisset, delitul: ut aut innupta maneat, aut viro suo reconcilietur.

Nota. Neque enim sancta Ecclesia viro et uxori permittit, ut sine gravioribus causis alter ab altero discedat.

Indissolubilitas unde tolerabilior.

XXIX. Ac ne forte alicui videatur durior matrimonii lex, quod nulla unquam ratione dissolvi possit, docendum est quæ sint cum ea utilitates conjunctorum.

Primo.—Primum enim homines in conjungendis matrimonii virtutem potius et morum similitudinem, quam divitias et pulchritudinem spectandam esse intelligant: qua quidem re communis societati maxime consuli nemo dubitare potest.

Secunda.—Præterea, si divortium matrimonium dissolvetur, vix unquam dissidentia cause hominibus, quæ eis ab antiquo pacis et pudicitiae hoste quotidie obicerentur, deessent.

(*a*) Matth. 19, 9. Luc. 16, 18. — (*b*) 1 Cor. 7, 39.

Tertio.—Nunc vero cum fideles secum cogitant, quavis etiam conjugii convictu et consuetudine careant, se tamen matrimonii vinculo constrictos teneri, omnemque alterius uxoris descendæ spem sibi precisam esse: ea re sit ut ad iracundiam et dissidia tardiores esse consueverint.

Quarto.—Quod si interdum etiam divortium facient et diutius conjugis desiderium ferre non possint, facile per amicos reconciliati ad ejus convictum redeunt.

Quinto.—Sed hoc loco prætermittenda non erit pastoribus, sancti Augustini (*a*) salutaris admonitio. Is enim ut ostenderet fidelibus, haud gravata faciendum esse, ut cum uxoribus quas adulterii causa dimisissent, si eas delicti penitentem, in gratiam reducerentur: Cur, inquit, vir fidelis non recipiet uxorem quam recipit Ecclesia? aut cur uxor viro adultero, sed penitenti non ignorat, cui etiam ignovit Christus? Nam quod Scriptura (*b*) stultum vocat qui tenet adulteram, de ea sentit quæ, cum deliquerit, penitere et a cœpta turpitudine desistere recusat. Ex iis itaque perspicuum est fidelium conjugia perfectione et nobilitate, tum gentilium, tum Judæorum matrimonii longe prestante.

Tria matrimonii bona.

XXX. Docendi præterea sunt fideles, tria esse matrimonii bona: prolem, fidem, sacramentum: quorum compensatione illa incommoda leniuntur, quæ Apostolus indicat his verbis: (*c*) Tribulationem carnis habebunt hujusmodi. Efficiturque ut conjunctiones corporum, quæ extra matrimonium

(*a*) Lib. de Adulter. conjug. c. 6 et 9. — (*b*) Prov. 18, 22. — (*c*) 1 Cor. 7, 28.

merito dammandæ essent, cum honestate coniunctæ sint. *Vide Aug. lib. 5 cont. Julian. c. 5.*

Primum. — Primum igitur bonum est proles, hoc est liberi qui ex justa et legitima suscipiuntur uxore; id enim tanti fecit Apostolus, ut dicaret: (a) Salvabitur mulier per filiorum generationem. Nec vero hoc de procreatione solum, sed de educatione etiam et disciplina qua filii ad pie-tatem eruditur, intelligendum est. Sic statim subdit Apostolus: Si in fide permanerint. Monet enim Scriptura: (b) Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum. Idem etiam Apostolus docet, ejusque institutionis pulcherrima exempla Tobias, Job et alii sanctissimi patres in sacris Litteris præbent.

Nota. Quæ vero sint parentum et filiorum officia, in quarto precepto latius explicabitur.

Secundum. — Sequitur fides, quod est alterum matrimonii bonum, non ille virtutis habitus quo imbuimus cum baptismum percipimus, sed fidelitas quedam qua mutuo vir uxori et uxor viro ita se obstringit, ut alter alteri sui corporis potestatem tradat, sanctumque illud conjugii fœdus nunquam se violaturum pollicetur. Id facile colligitur ex illis verbis quæ a primo parente enunciata sunt, cum Evan uxorum suam accepit, quæ deinde Christus Dominus in Evangelio comprobavit: (c) Quare relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. Item ex ea Apostoli loco: (d) Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Quare optimo jure gravissimæ animadversiones a Domino in adulteros, quod hanc

(a) 1 Tim. 2, 15. — (b) Eccl. 7, 25. — (c) Gen. 2, 24. Matth. 19, 5. — (d) 1 Cor. 7, 4.

maritalem fidem frangant, in veteri lege constitutaे erant (a).

Nota. Postulat præterea matrimonii fides, ut vir et uxor singuli quodam sanctoque et puro amore conjuncti sint: neque ut adulteri inter se ament, sed ut Christus dilexit Ecclesiam: hanc enim Apostolus regulam præscripsit, cum ait: (b) Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam; quam certe immensa illa charitate, non sui commodi gratia, sed sponsæ tantum utilitatē sibi proponens, complexus est.

Tertium. — Tertium bonum, sacramentum appellatur, vinculum scilicet matrimonii, quod nunquam dissolvi potest: nam, ut est apud Apostolum, (c) Dominus præcepit uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; et vir uxorem non dimittat. Si enim matrimonium, ut sacramentum est, Christi conjunctionem cum Ecclesia signat, necesse est ut Christus se ab Ecclesia nunquam disjungit, ita uxorem a viro, quod ad matrimonii vinculum attinet, separari non posse. Verum ut hæc sancta societas sine querela faciliter conservetur, viri et uxorū officia, que a sancto Paulo (d) et a principe Apostolorum Petro (e) descripta sunt, tradenda erunt. *Vide Aug. lib. 1 de Adulter. conjug. c. 21 et 22, et de Bono conjugio c. 7, et de Nupt. et concupisc. lib. 1, c. 10.*

Primum viri erga uxorem officium.

XXXI. Ergo viri munus est uxorem liberaliter et honorifice tractare, qua in re meminisse oportet Evan ab Adamo sociam appellatam esse, cum

(a) Lev. 20, 10. Num. 5, 12 et seq. — (b) Ephes. 5, 23. — (c) 1 Cor. 7, 10. — (b) Ephes. 5, 22 et seq. Coloss. 5, 18, 19. 1 Tim. 5, 14. — (e) 1 Pet. 3, 1 et seq.

*inquit : (a) Mulier quam dedisti mihi sociam. Cu
jus rei causa aliqui Patres factum esse docuerunt,
ut ea non ex pedibus, sed ex latere viri formare-
tur : quemadmodum etiam ex capite condita non
est, ut se viri dominam non esse intelligeret, sed
viro potius subjectam.*

*Secundum. — Decet præterea virum in alicujus
honestæ rei studio semper occupatum esse : tum
ut ea suppeditet quæ ad familiam sustentandam
necessaria sunt; tum ne inerti otio languescat, a
quo vita fere omnia fluxerunt.*

*Tertium. — Deinde vero familiam recte consti-
tuere, omnium mores corrigere, singulos in offi-
cio continere.*

Primum uxoris officium.

*XXXII. Rursus autem uxoris partes sunt quas
Apostolorum princeps enumerat, cum inquit :
(b) Mulieres subditæ sint viris suis : ut et si qui
non credunt verbo, per mulierum conversationem
sine verbo iucurificant, considerantes in timore ca-
stam conversationem vestram, quarum non sit
extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut
indumenti vestimentorum cultus; sed qui abscon-
ditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti
et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei lo-
cuples; sic enim aliquando et sanctæ mulieres,
esperantes in Deo, ornabant se, subiectæ propriis
viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum
vocans.*

*Secundum. — Earum quoque precipuum stu-
dium, sit filios in religionis cultu educare, dome-
sticas res diligenter curare.*

Tertium. — Domi vero libenter se contineant,

(a) Gen. 3, 12. — (b) 1 Pet. 5, 1 et seq.

*nisi necessitas exire cogat; idque sine viri per-
misso facere nunquam audeant.*

*Quartum. — Deinde in quo maxime maritalis
conjunctio sita est, meminerint semper secundum
Deum magis quam virum, neminem diligendum,
eove pluris faciendum esse neminem, cui etiam
omnibus in rebus que christiana pietati non ad-
versantur, morem generi et obtemperare summa-
cum alacritate animi oporteat.*

Ceremonia matrimonii.

*XXXIII. Harum rerum explicationi consequens
erit ut pastores ritus etiam doceant qui in matri-
monio contrahendo servari debent, de quibus non
est expectandum, ut hoc loco precepta tradantur,
cum a sancta Tridentina synodo, quæ hac in re
maxime observanda sint, copiose et accurate con-
stituta fuerint : neque illud decretum a pastori-
bus ignorari possit: satis igitur est eos admonere,
ut quæ ad hanc partem attinent, et sacri concilii
doctrina cognoscere studeant, eaque fidelibus di-
ligenter exponant. Sess. 24, *decreta de reforma*
*matrim.**

De quo monendi sunt adolescentes.

*XXXIV. In primis autem ne adolescentes et
puellæ, cui etati inest maxima imbecillitas con-
silii, falso nuptiarum nomine decepti, turpium
amorum fœdera incaute ineant; sapissime doce-
bunt, ea neque vera, neque rata matrimonia ha-
benda esse, quæ presente parochio, vel alio sa-
cerdote de ipsis parochi vel ordinarii, licentia,
certoque testium numero non contrahantur.*

Impedimenta matrimonii docenda.

*XXXV. Sed quæ matrimonium etiam impediunt,
explicanda erunt, in quo argumento plerique gra-
ves et doctissimi viri, qui de virtutis et virtutibus*

conscripterunt, adeo diligenter versati sunt ut facile omnibus futurum sit que illi scriptis suis tradiderunt, in hoc locum transferre: cum praesertim necesse habeant pastores eos ipsos libros nunquam fere e manibus deponere; itaque cum illas preceptiones, tum quae a sancta synodo sancte sunt de impedimento, quod vel a cognitione spirituali, vel a justitia publica honestatis, vel a fornicatione oritur, attente legent et tradenda fidelibus curabunt.

Quo animo matrimonium ineundum.

XXXVI. Ex quibus perspici potest, quo animo affectos esse oporteat fideles cum matrimonio contrahunt: neque enim se humanam aliquam rem aggredi, sed divinam putare debent; in qua singularem mentis integritatem et pietatem adhibendam esse, patrum veteris legis exempla satis ostendunt: quorum matrimonia, tametsi sacramenti dignitate praedita non erant, ea tamen maxima semper cum religione et sanctimonia colenda esse existimarentur.

Matrimonium clandestine non contrahendum.

XXXVII. Inter cetera autem maxime hortandi sunt filii familias ut parentibus, et iis in quorum fide et potestate sunt, eum honorem tribuant, ut ipsis inscientibus, nedum invitatis et repugnantibus, matrimonia non ineant. Nam in Veteri Testamento licet animadvertere filios a patribus semper in matrimonium collocatos esse. Quia in re plurimum illorum voluntati deferendum esse, Apostolus etiam videtur iis verbis indicare: (a) Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit.

(a) 1 Cor. 7, 58.

De usu matrimonii duo præcipienda.

XXXVIII. Extrema illa restat pars quæ ad matrimonii usum pertinet, de quibus ita agendum est a pastoribus, ut nullum ex eorum ore verbum excidat, quod fidelium auribus indignum esse videatur, aut piastrem ledere, aut risum movere queat. Ut enim (a) eloquia Domini, eloquia casta sunt: ita etiam maxime decet, christiani populi doctorem ejusmodi orationis genere uti, quod singularem quamdam gravitatem et mentis integritatem præ se ferat. Quare duo illa maxime docendi sunt fideles.

Primum. — Primum quidem non voluptatis, aut libidinis causa matrimonio operam dandam esse: sed eo utendum intra illos fines, qui, ut supra demonstravimus, a Domino prescripti sunt. Meminisse enim convenit quod Apostolus hortatur: (b) Qui habent uxores, tanquam non habentes sint. Tum vero a sancto (c) Hieronymo dictum esse: Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu: reget impetus voluptatis, nec præceps feretur ad coitum. Nil est fœdius, quam uxorem amare quasi adulteram.

Secundum. — Sed quoniam bona omnia sanctis preceptionibus a Deo impetranda sunt, alterum est quod fideles docere oportet. Deum orandi et obsecrandi causa matrimonii officio interdum abstineant, in primisque id sibi observandum sciant tribus saltem diebus, antequam sacram Eucharistiam percipiant, sèpius vero cum solemnia quadragesima jejunia celebrantur, quemadmodum patres nostri recte et sancte præceperunt. Ita enim fiet ut ipsa matrimonii bona majori in

(a) Ps. 11, 7. — (b) 1 Cor. 7, 29. — (c) S. Hieron. lib. 1. cont. Jovin. in fine.

dies divinæ gratia cumulo augeri sentiant, et pietatis studia sectantes, non modo hanc vitam tranquille et placide traducant; sed æternæ etiam beatitudinis consequenda vera et stabili spe(*a*) que non confundit, nitantur. *Vide* 55, q. 4, *per totam*, et *de Conserr. dist. 2, c. Omnis homo. Hieronym. in Apolog. pro libris contra Jovian. post medium*, et *in c. 12, Zach. super istud: In die planctus magnus erit fructus tori immaculati.*

(*a*) Rom. 5, 5.

PARS TERTIA

DE DEI PRÆCEPTIS IN DECALOGO CONTENTIS.

Decalogus legum omnium summa.

I. Decalogum legum omnium summam et epitomen esse sanctus Augustinus (*a*) litteris commendavit. Cum multa locutus sit Dominus, duæ tamen tantum tabulæ dantur Moysi lapideæ, que dicuntur tabulæ testimoniorum futuri in arca: nimirum cætera omnia quæ præcepit Deus, ex illis decem præceptis quæ duabus tabulis conscripta sunt, penderint intelliguntur, si diligenter querantur et recte intelligantur. Quomodo hac ipsa rursus decem præcepta ex duobus illis, (*b*) dilectionis scilicet Dei et proximi, in quibus tota lex pendet et Propheta.

Decalogum pastores diserte teneant et explicitent.

II. Itaque cum sit totius legis summa, pastores oportet in ejus contemplatione diu noctuque versari, non ut vitam suam modo ad hanc normam componant, sed etiam ut populum sibi creditum in lege Domini erudiant.

Nam (*c*) labia sacerdotis cut todunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est: quod ad pastores novæ legis maxime pertinet, qui Deo propiores, (*d*) a claritate in claritatem transformari debent, tanquam a Domini spiritu: et cum eos (*e*) lucis nomine nuncupavit Christus Dominus, propriæ sunt

(*a*) Quæst. 140, super Exod. — (*b*) Matth. 22, 40. — (*c*) Mal. 2, 7. — (*d*) 2 Cor. 2, 18. — (*e*) Matth. 5, 14.